

ARTICULUS II.

QUA POENA PUNIATUR PECCATUM VENIALE?

59. *Nota.* Certum est inter Theologos 1º. peccatum veniale per se et ex natura sua non mereri poenam aeternam. Sequitur enim hoc ex differentia inter peccatum mortale ac veniale, et ex fundamentis, ob quae poenarum aeternitas mortali a Patribus tribuitur. Ea vero cum in veniali locum non habeant, nec perpetuitatem poenarum fundant. 2º. Per se mereri poenam temporalem, sive in hac vita, que consistit partim in privatione donorum supernaturalium, auxiliorum nempe gratiae efficacis, fervoris charitatis, et familiaritatis cum Deo, partim in illatione poenarum naturalium, puta, doloris, morbi, egestatis, belli, famis aut etiam mortis, ut ex SCRIPTURA et PATRIBUS novimus: sive post hanc vitam seu in purgatorio, quae stat tum in privatione aut potius dilatione visionis beatificae et in tristitia animae propter eam, tum in pena sensus, hoc est, doloribus ac molestiis ab igne purgatorio natis, ut illud Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquod coquinatum;* et 4. ad Cor. 3. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem;* ac Matth. 5. *Amen dico tibi: non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem;* CONCILIA ET PARENTES de penis purgatorii peccato veniali post hanc vitam debitis exponunt. Restat proin quæstio de peccato veniali coniuncto cum mortali: utrum hoc saltem *per accidens* aeternum puniatur in damnatis?

60. *Dico.* Nullum veniale in damnato etiam *per accidens* punitur poena aeterna.

Prob. Exhausta poena per leges sancta, reus eam passus nihil amplius debet, nec judex poenam ulteriore ab eo juste exigit; ut patet in penis humanis, imo etiam infernalibus; quæ licet sint infra condignum, tamen quoad intensionem maximam a Deo non exiguntur, et a damnatis expanduntur. Ergo cum temporalis poena veniali per leges divinas de cœta exauriri possit, ea persoluta nec damnatus habet debitum sustinendi, nec Deus jus infligendi poenam ulteriore, qualis aeterna foret; ergo cum Deus etiam *per accidens* puniendo non agat, nisi secundum debitum rei et jus suum judiciale, peccatum nullum veniale punit etiam *per accidens* poena aeterna.

Conf. 1. Deus ex PATRUM et THEOLOGORUM consensu damnatos non punit ultra condignum: id vero faceret, si veniale per accidens pleceret aeternum. Nam poena v. g. unius anni intensa ut decem, que interim tanquam per se et ex condigno debita jocosu mendacio supponitur, per poenam inferni intensam tantum ut unum post decem annos æquaretur: post alios decem in duplo excederetur: siveque, decennia in infinitum numerando, crescente semper proportione superaretur; ergo.

Conf. 2. Licet veniale in damnato ob conjunctionem cum mortali et ortum inde statum inimicitæ fiat *per accidens* irremissibile; tamen imprimis manet culpa levis, quia illæ circumstantiae non mutant essentiam venialis: deinde debitum poenæ per ejus passionem manet extinguibile, quia ad satisfactionem et poenæ solutionem non requiritur status gratiae vel favor Dei.

extrinsecus, ut eum satisfactio et remissio culpæ exigit; ergo et poena correspondens levi culpæ manebit levis ac temporanea, eaque non evadet *per accidens* insolubilis.

61. *Obj. I.* Quamdiu manet causa necessaria, manet ejus effectus et proprietas: sed reatus culpæ in peccato est causa reatus poenæ, tanquam effectus et proprietatis; ergo.

R. D. M. Manet ejus effectus et proprietas in physicis C. in moralibus subd. si effectus et proprietas sit absoluta et inseparabilis C. si sit conditio- nata et separabilis N. Proprietas physica producitur per influxum physicum; unde conservata causa necessaria, utpote influxum illum physicum semper præstante, etiam naturaliter perseverat, ut patet in calore, proprietate ignis. Conservatio autem ac perseverantia proprietatum moralium conditionata tantum esse et hinc cessare potest, conditione posita.

Quamvis itaque permittatur reatum poenæ esse reatus culpæ effectum et proprietatem, cum tamen uterque reatus rectius dicatur effectus peccati actualis; tamen proprietas est tantum *moralis*, quæ, sicut reatus culpæ perire potest reatu poenæ permanente, sic etiam tolli potest reatu culpæ per- severante, cum hic reatus ad morem debitorum aliorum destruatur per solutionem poenarum, ob cuius negationem perseverare dicitur.

Inst. 1. Quamdiu manet culpa peccati, peccatum manet poena dignum, et hinc juste puniri potest: sed culpa in veniali manet aeternum; ergo. *Conf.* Deus potest quid juste punire, quamdiu id ipsi displicet: sed veniale non remissum quoad culpam illi aeternum displicet; ergo.

R. Quamdiu manet culpa peccati, peccatum manet poena dignum dignitate radicali et quasi conditionata C. actuali et absoluta N. Dignitas radica- lis ad poenam est ratio et fundamentum, cur possit aut potuerit poena infligi: hæc dicitur conditionata, quia non facit, ut de facto et adhuc infligi poena possit, nisi supponatur poenam needum esse solutam. Dignitas actualis est debitum præsens adhuc sustinendi poenam.

Ad Conf. D. M. Deus potest quid juste punire, quamdiu id ipsi juste dis- placet, si illud needum adæquate punivit C. Si illud jam secundum reatum poenæ adæquate punivit N. Justitia formaliter consistit in adæquatione juris et debiti; cum itaque damnatus pro debito poenæ temporalis adæquate fuerit satispassus, siveque illud adæquando extinxerit, Deus remanentem reatum culpæ juste punire nequit.

Inst. 2. Reus juste a Deo potest puniri, quamdiu habet complacentiam in peccato: hanc habet damnatus in veniali quoad culpam non remisso; ergo.

D. M. Quamdiu habet complacentiam liberam, et quæ sit novum formale peccatum C. quamdiu habet complacentiam necessariam, et quæ peccatum formale non sit N. Argumentum, si valet, nimium probat, nempe peccata in damnatis et consequenter poenas sine fine augeri.

62. *Obj. II.* Ideo peccatum mortale per se punitur poena aeterna, quia damnatus per hoc peccatum sponte se conjecit in talem statum, ubi principium vitae ipsi deest, satisfactio fit impossibilis, et culpa irreparabilis; ergo veniale saltem per accidens puniatur poena aeterna, quia per accidens, scilicet per mortale coniunctum, constitutum est in statu omnino simili.

Conf. Poena correspondet culpæ et malitiæ ut duranti : sed culpa venialis semper hic durat ; ergo.

R. D. A. Ideo præcise aut tantum punitur per se poena æterna mortale N. tum propter hoc, tum propter alias rationes a priori æque ac maxime a posteriori C. Inter alias rationes etiam attulimus illam ex D. THOMA, quantumvis hic nobis contrario; tum ut ex nostris non solum, sed et ex alienis principiis veritatem theseos confirmatam ostenderemus : tum quia declarandum ibi erat, quid peccatum mortale *per se* efficeret ac induceret, quandoquidem de ipso peccati merito sermo fuerat. Cum autem in presenti non sit quæstio de natura et merito ipso veniali, sed de accidentaliter tantum statu, sequelas a D. THOMA ex illo principio deductas admittendi nulla necessitas urget; præsertim cum aliis principiis communibus illæ repugnare videantur.

Ad Conf. D. M. Poena respondet culpæ et malitiæ ut duranti in reatu ad sustinendam poenam C. ut duranti in reatu ad sustinendam displicantiam subd. si libere duret, aut poena non sit per passionem æquata C. si aut non libere duret, aut æquata sit poena N.

Inst. Ex nostra thesi sequeretur 1. Relinqui in hoc universo aliquid inordinatum, scilicet culpam sine poena : 2. Dari remissionem poenæ sine meritis Christi : 3. In inferno locum habere redemptionem, et poenas decrescere ac mitigari : 4. Pro remissione poenarum dannata posse offerri preces et applicari indulgentias.

R. N. Hæc vel sequi, vel a fidelium sensu aliena esse.

Ad 1^{um}. R. D. Relinqui culpam sine poena soluta et solvenda N. sine poena non amplius quidem pendenda, cum jam ex aequo data fuerit C. Imo vero ordinatissimum est a Deo nullum peccatum puniri ultra condignum.

Ad 2^{um}. D. Dari sine meritis Christi remissionem per satisfactionem, et reparativam offendæ N. remissionem per satispassionem, et præcise per passivam adæquatam vindicative justitiae, eamque nullatenus salutarem nec meritoriam solutionem C. Hinc meritis Christi nihil decidere constat, quæ ad satisfactionem, reparationem honoris læsi, ac salutarem satispassionem ordinata fuerunt.

Ad 3^{um}. N. 1^{am}. part. Juxta quosdam proprie redimi poenam est loco poenæ debitæ offerre pretium aliud aequivalens, vi cuius judex ad permutandam vel omittendam vindictam movet: impropriæ redimi est condonari vel minui poenam ex iudicis clementia. Neutrum accidit in inferno, ubi poena non redimitur, sed expiatum et solvitur. 2^{am}. part. C. Hoc enim non repugnat persuasiōni fidelium, qui sentiunt peccatum quidem mortale, non autem veniale poena æterna puniri.

Ad 4^{um}. N. seq. ex solut. ad Inst. 1. n. 54.

QUÆRES I. Quomodo remittatur reatus culpæ decedentibus cum solo peccato veniali?

63. *Nota.* S. THOMAS in 4. Dist. 21. a. 3. contra ALENSEM aliosque probat sepe contingere, ut venialia peccata non remittantur ante mortem. Ex illo autem Apoc. 21. v. 27. *Non intrabit in eam aliquod coquinatum*, statuunt omnes, etiam reatum culpæ venialis sublatum esse oportere, antequam justus homo in gloriam coelestem ingrediatur. Præterea statuunt communiter Theologi,

culpam in hac providentia nunquam mere condonari. Denique ratio manifesta probat, pro reatu culpæ in hac vita non remisæ animas in purgatorio non posse condigne satispati; cum culpa etiam venialis sit malum morale et altioris ordinis, quam poena, quæ malum tantum physicum est, et nulla ratione adæquare illum ordinem valet.

His suppositis ad solvendam quæstionem auctores duplicem sententiarum classem afferunt: 1^a. est, quæ statuit culpam remitti a Deo sub ipsum animæ egressum: 2^a. quæ vult remitti eam in ipso purgatorio et egressu ex eodem. In hac materia, quæ ex certis fundamentis decidi nequit, sufficiet nobis diversas exponendi rationes ab auctoribus inventas attulisse.

64. R. I. Secundum primam classem remittitur culpa in ipso instanti mortis seu in primo non esse vitæ, vel vi gratiæ finalis, vel vi meritorum precedentium et resultantis inde juris, quod justus habet ad introitum in gloriam et remotionem omnium impedimentorum ad eam: vel vi actus contritionis intensissimi, quæ in egressu e corpore anima elicere dicitur.

65. R. II. Secundum alteram classem remittitur culpa vi actuum charitatis divinæ, patientiæ, ac resignationis in voluntatem divinam aliorumque actuum supernaturalium in purgatorio ab anima elicitorum: idque vel via meriti; quia purgatorium pertinet quodammodo adhuc ad viam, nec est terminus: vel per viam satisfactionis; quia purgatorium ex ordinatione divina est locus non modo satispatiendi, sed et pro residuis culpis veniabilibus satisfaciendi: vel per viam deprecationis et impetrationis; cum sicut animæ in purgantibus flammis detentæ, tanquam Deo gratae, possunt precari et impetrare quidpiam pro aliis, sic et remissionem culpæ pro se impetrare queunt.

QUÆRES II. In quonam consistat ratio peccati habitualis?

66. R. I. Peccatum habituale nihil est aliud, quam ipsum actuale physice præteritum, sed moraliter perseverans in reatu culpæ, seu per ordinem ad debitum sustinendi odium, vel displicantiam divinam.

Prob. Sicut ab actu malo existente denominatur homo actu peccator; ita habitu et reatu peccator aptissime dicitur ab actu physice quidem præterito, sed moraliter, h. e. habitu et reatu perseverante.

Conf. 1. Ex S. AUG. L. 1. de Nupt. et Concup. c. 26. cit. supra num. 29.

Conf. 2. Peccatum perseverans ad debitum sustinendi odium, si fuerit mortale; aut displicantiam, si fuerit veniale, est radix aliorum effectuum, ut sunt privatio gratiæ sanctificantis, reatus poenæ... imo præscindendo a reliquis; et hoc uno intellecto satis cognoscitur perseverantia moralis peccati.

Si quis: Peccatum habituale dicitur mors animæ; ergo consistit in privatione, id quod diserte docet D. THOMAS. Item peccatum dividitur in actuale et in habituale; ergo non possunt esse idem.

R. D. A. Dicitur mors animæ demeritorie et causaliter C. formaliter et in se N. Idipsum D. THOMAS alibi diserte asserit, quod privatio gratiæ sit poena peccati, non ipsum peccatum. Præterea divisio peccati in actuale et habi-

tuale non est divisio generis in species, sed subjecti in accidentia; non per membra stricte ac physice dividentia, sed per diversos tantum status.

67. R. II. Perseverantia moralis peccati habitualis explicatur proxime et formaliter per negationem satisfactionis vel condonationis.

Prob. Peccatum habituale perseverans est peccatum non remissum; ergo sicut offensa principis dicitur moraliter perseverare, ex eo quod physice praeterierit, et vel ab offendente non fuerit expuncta per compensationem, vel a principe non condonata; ita offensa Dei.

Si ait 1º. Sequeretur, tum quod Deus esset causa peccati habitualis, quia negatio condonationis fundat perseverantiam peccati: tum quod Deus odio haberet suam negationem condonationis, quia aversatur etiam peccatum habituale ut perseverans.

R. N. seq. Nam 1º. Deus non condonando non intendit directe perseverantiam peccati, nec proprie conservat, nec positive in illud influit; sed utitur jure suo, quo cedere non tenetur; et nihilominus ad promerendam condonationem disponit et excitat. Homo autem causa dici debet, tum quia posuit actuale peccatum; tum quia contra debitum et obligationem non satisfecit. 2º. Deus aversatur peccatum ut perseverans, ita ut perseverantia sit duntaxat conditio, sine qua non amplius odisset peccatum; non item ratio motiva et provocans indignationem Dei.

Si ait 2º. Perseverantia moralis peccati habitualis proxime et formaliter explicatur per obligationem satisfactionis et jus aversandi; tum quia sublati jure et obligatione tollitur peccatum habituale: tum quia obligatio et jus sunt priora, et præsupponuntur ad utramque negationem.

R. N. A. Quia obligatio hæc, et jus illud perseverans præsupponunt tanquam titulum peccatum habituale, et sunt ejus effectus: sicut eadem obligatio et jus primum præsupponunt peccatum actuale, cuius sunt effectus. Tollitur quidem peccatum habituale sublati jure et obligatione, sed qua negantibus precessisse satisfactionem vel condonationem. Demum obligatio prima et jus primum sunt priora; non vero obligatio et jus perseverans: sic enim ex peccato habituali et ex negatione oriuntur.

DISPUTATIO III.

DE PECCATO ORIGINALI.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA PECCATI ORIGINALIS.

Peccati originalis nomine intelligimus ex annotatis n. 3. illud, quod a primo homine in omnes ejus posteros naturali generationis via ab eo descendentes transfusum hos ipso originis momento inquinat, reddit Deo inimicos, indignos celo, et variis vitae calamitatibus ipsique morti obnoxios. Controversiam de illo *Celestius*, Pelagii socius, aut inter discipulos antesignanus, ad questiones praeter fidem referre quidem conatus est; sed S. AUGUSTINUS tum epist. 89. (al. 157. n. 11. et seqq.) tum de gratia et pecc. orig. L. 2. c. 24. et L. 1. cont. Julian. c. 2. ostendit, eam *ad ipsa Christiana fidei fundamenta pertinere*, unamque esse ex iis, quibus *proprie fides Christiana consistit*. Quare et nos hanc materiam accurate tractandam censemus, atque eum in finem et errorum et veritatis demonstrationem ac vindicias dare aggredimur.

ARTICULUS I.

QUINAM CIRCA ORIGINALIS PECCATI EXISTENTIAM FUERINT ERRORES?

68. *Dico I.* Triplex classis est eorum, qui circa peccati originalis existentiam errarunt.

1º. *GENTILIUM*, qui peccatum originale ignorarunt, et, juxta quosdam, *HEBRAORUM* nonnullorum, qui circumcisionem nihil, nisi notam characteristicam populi Judaici ab infidelibus existimabant. Sed ignorantia hæc potius, quam error forte dicenda est; eo quod originale malum ex revelatione duntaxat innotescat.

2º. *HÆRETICORUM*, ex quorum erroneis alias opinionibus peccati originalis existentia destruitur. Ejusmodi erant *MANICÆI*, aliique bina rerum principia diversa, et animam in homine, alteram bonam, alteram malam, singentes, atque hinc teste S. Aug. L. 20. cont. Faust. c. 46. baptismum tanquam prorsus inutilem rejicientes; quorum dogmata sicut secuti sunt *ALBIGENSES*, sic baptismum etiam parvulus ad salutem prodesse negarunt. Huc aliqua ratione reduci etiam potest *ORIGENES*, qui quamvis nullibi peccatum originale negaverit, et baptisci etiam necessitatem ad parvulorum peccata delenda hom. 8. et 12. in Levit. (si tamen hæc commentaria illum auctorem